

ber pignori datus, et hujusmodi. Res sacræ, ut calices, planeta, etc. non possunt pignorari, nisi ad subveniendum pauperibus, aut ecclesiis. Item advertendum quod contractus dictus *antichriseos*, vulgo *a godere*, est illicitus (ut dictum est n. 182.), nisi subesset justus titulus damni, aut loci cessantis aut pœnæ conventionalis (1).

234. IV. *Tutela*, aut *curatela* sunt quidem quasi contractus, quibus tutores et curatores obligantur sibi esse curæ pupillos et minores, tam quoad educationem, quam quoad bonorum administrationem. Et hic notandum quod pupilli, et minores non possunt sua bona obligare (exceptis castrensibus, aut quasi), si sunt stabilia, sine iudicis auctoritate: et si sunt mobilia, sine consensu tutoris, aut curatoris. Dubitatur tamen, an si ipsi obligentur, saltem remaneant naturaliter obligati? Affirmamus cum Less. Lug. Navar. Sanch. Laym. Castrop. Salmant. et aliis (contra Bonac. etc. quoties pupillus est saltem proximus ad pubertatem, et contractus non sit cum ipso suo tutore, aut curatore, sed cum extraneis, nam in *L. Novatio ff. de novat.* hoc habemus expressum, cum ibi dicatur: *Dummodo obligatio utiliter teneat, aut naturaliter, ut puta* (notetur) *si pupillus sine auctoritate tutoris promiserit.* Præterea advertatur quod pupilli, et minores non possunt donare, nisi illa quæ alii similis conditionis donare possunt; sed donatarii non tenentur restituere accepta, nisi post iudicis sententiam; nam tales donationes jam jure naturæ sunt validæ (2).

235. V. Quoad testamenta, etiam moralistæ fusius de hoc tractant, sed quia hæc potius ad forum; quam ad conscientiam spectant, omitta hic facio, cum me ad ea, quæ in opere morali dixi remittam (3). Hic tantum aliqua, quæ confessorium juvant scire, adnotabo. Notandum 1.

(1) N. 913 ad. 916. — (2) L. 3. 917. et 918. — (3) N. 919.

quod cum hæredi constat voluntas testatoris circa dispositionem piam, ipse in conscientia tenetur eam adimplere, licet nullæ adessent probationes externæ. Sed cum hoc non constat, non tenetur credere uni soli festi, licet probatissime, qui hoc sibi testatur; quia saltem debent esse duo testes; ita habetur ex *c. Relatum 1. de test. et c. Licet de testib.* ubi dicitur: *Nulla tamen est causa, quæ unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur.* Et hæc regula certa est, ut ait Laym. et recepta ab omnibus communiter (4).

236. Notandum 2. quod legatum relictum virginibus debetur etiam corruptæ, si ejus corruptio est occulta, juxta communem sententiam (5). Notandum 3. legatum relictum virginibus oriundis non dandum virginibus ibi fortuito natis, ut dicunt Sanch. Trullench. et Barbosa apud Ferraris (6). Notandum 4. piæ dispositiones solum a Papa commutari posse, cum justa intercedit causa, ut exprimitur in *Clement. Quia contingit de domib. relig.* non autem ab Episcopis, qui, (sicut probabiliter dicunt Laym. Bonac. Salm. et Trull.) tum tantum possunt, cum superveniret talis causa, quæ si cognita fuisset a testatore, aliter disposuisset, interpretari ejus voluntatem et applicare legatum alii usui pio (7).

237. Notandum 5. testatores tenentur in conscientia, et quidem sub gravi legare sua bona, non solum hæredibus necessariis, v. g. filiis et parentibus, aut avibus, quoad legitimam; sed etiam fratribus et sororibus, cum isti necessitate extrema aut gravi laborant, ut tenendum est cum Lugo Bonac. Silv. Diana, etc. contra Salmant. Ratio est quia nos in vita jam tenemur diligere, et adjuvare fratres pauperes sub gravi obligatione, ut docent communiter Laym. Silvest. Ang. cum ipsismet Salm. ob sanguini-

(1) N. 923. et 924. — (5) N. 930. dub. 6. — (6) Ap. Ferraris bibl. v. Civitas n. 71. — (7) L. 3. n. 931.

nis ligamen, et ita ut si quis suum fratrem lædit, duo committit peccata, unum contra justitiam, et alterum contra pietatem. Si igitur obligatio pietatis nos in vita ligat quidni in morte? Dixi *necessitate extrema aut gravi*, quia si fratres essent quidem pauperes, sed non in tanta necessitate; aut si essent conjuncti in gradu remotiori, licet isti essent in gravi necessitate, tunc probabiliter non erit obligatio gravis, sed erit saltem levis (1).

238. Notandum 6. quod pater potest ex hæredare filios ex justa causa, (1) N. 946.

puta si isti tentassent eum interficere aut impedire, quominus testaretur, aut alia gravi injuria eum affecissent; secus vero si matrimonium cum personis suæ qualitatis imparibus contraxissent. Contra est valde probabile quod pater possit ex hæredare filiam, quæ cum esset ætate minori 25. annis, luxuriose vixisset (2). Hoc tamen intelligitur, si filia (aut filius) habeat unde vivat, quia illa cum paupertate laborat, pater semper tenetur ei alimenta ad vitæ sustentationem necessaria ministrare (3).

(2) N. 948. — (3) N. 344.

## TRACTATUS XI.

### DE OCTAVO PRÆCEPTO DECALOGI

#### CAPUT UNICUM.

*De judicio temerario, contumelia et detractione.*

#### PUNCTUM I.

##### DE JUDICIO TEMERARIO.

1. *De judicio et suspitione temerariis.*
2. *Advertenda pro praxi.*

1. Judicium temerarium tunc est peccatum mortale, cum sine sufficienti fundamento judicamus proximum aliquod grave malum commississe. Ex quo inferitur quod hujusmodi judicia plerumque excusantur a mortali, aut quia fundamentum judicatur sufficiens, aut quia non sunt judicia, sed suspiciones, quæ quamvis sint temerariæ, non attingunt mortale, nisi dubitetur quod personæ bono nomine essent reæ gravissimorum criminum, uti atheismi, hæresis, incestus cum parentibus et hujusmodi (4).

2. In hac materia igitur advertat confessorius multos rudes se accusare, quod temere judicant: oportet efficere ut ipsi sciant 1. cum adsunt sufficientia momenta ita judicandi de aliqua actione, judicium non esse temerarium, sed justum adeoque non

esse culpabile; 2. hæc ut plurimum non esse judicia, sed suspiciones, quas domini, et patres familias aliquando tenentur habere, ut aliquod peccatum impediant: v. g. ne servi furentur, ne filia peccent cum hominibus versando, et alia id genus. Tantum advertatur ne hujusmodi suspiciones cum aliis communicent sine necessitate.

#### PUNCTUM II.

##### DE CONTUMELIA.

3. *De contumelia, et de honoris restitutione.*
4. *Causa quæ excusat.*
5. *De reservatione et lectione epistolarum.*
6. *Cui hoc permissum sit.*

3. Contumelia etiam est grave, cum per eam graviter læditur honor proximi coram ipsomet. Unde si publica fuit, publice ei honor restituendus est, veniam ab eo petendo, aut saltem efficiendo ut hi sciant jam talem honoris restitutionem factam fuisse (5). Et si contumelia clam illata est, etiam secreto compensanda est, juxta veram et communem sententiam Lessii, Lug. Spor. Romc. a.

(5) N. 966. et 984. ad 988.

(4) Lib. 3. n. 962. ad 965.

Anton. Salm. adversus Laym. et Molin. (1).

4. Excipitur tamen 1. si probabiliter præsumitur quod offensus ex signis quæ ostendit, jam remiserit offensam, aut recuset illam publicam satisfactionem, ne novo rubore effundatur, et in hoc casu sufficere eum alio modo honorare; 2. si offensus jam ultus fuerit injuriæ; aut si jam publice in offensorem a iudice pœna sufficienti ad reparandum honorem ablatum animadversum sit (2).

5. Contumelia etiam afficeretur proximus, si ejus litteræ resignarentur, aut legerentur, nisi habeatur, aut saltem præsumatur consensus ejus, ad quem mittuntur, aut ejus a quo scriptæ sunt, ut dicunt Lugo, Busemb. Escob. Navarr. etc. (3). Et graviter peccaret, si materia esset gravis aut judicaret proximum ita moleste laturum, ut graviter offenderetur. Eo casu tamen si revera materia esset levis, qui legeret non peccaret contra justitiam, sed contra charitatem, ut recte dicit La-Croix cum communi contra Bonac. (4).

6. Licet contra 1. principibus reserare litteras inimicorum et etiam aliorum, qui tempore belli scribunt ad regiones inimicorum. Et idem etiam licet ministris publicis, si hoc judicant oportere ob bonum commune. 2. Prælati religiosi possunt aperire epistolas suorum subditorum, si in hoc adest statutum aut usus, aut saltem suspicio probabilis quod in illis contineatur aliquid mali. Sed hoc non potest intelligi de illis epistolis, quæ directæ sunt ad Superiores majores aut ab istis datæ sunt.

3. Licet etiam privatis aperire litteras suorum adversariorum, qui sibi injustæ sunt molestiæ; ita communiter Lessius Lugo Laym. Sanch. Nav. Bonac. Salmant. et Ronc. Et idem permittunt Lugo et Busemb. ut evitetur injuria gravis, quæ im-

(1) N. 985. — (2) N. 989. et 990. — (3) l. 5. n. 70. ad 74. — (4) N. 70. v. Ita.

minet alicui tertio (5). Si autem aliquis colligeret chartulas epistolæ laceratæ a domino, et in publico loco relictas (non vero in occulto) et ob curiositatem eas legeret, tunc ei nullam facit injuriam (modò non patefaceret secretum cum illius damno); nam quæ pro derelictis habentur, licitum est ea in propriam utilitatem convertere; ita Laym. Busemb. Diana s. Antonin. Silvest. etc. Et hoc quamvis (dicunt Lugo et Ronc.) dominus lacerasset epistolam in minutas partes; tunc enim videtur voluisse cedere suo juri. Sed merito contradicit La-Croix cum Rebello etc. quia lacerando ille minutatim epistolam, benesignificare voluit nolle eam legi, et noluisse cedere suo juri. Et hoc, quod dictum est de epistolis, valet pro omnibus aliis scripturis; quia quilibet habet jus secreti in suis scriptis, quæ non vult esse communia cum aliis; ita Navar. Mol. Busemb., etc. (6).

#### PUNCTUM III.

##### DE DETRACTIONE.

7. *Detractio quando est culpabilis*
  8. *De arcano per fraudem cognito, etc.*
  9. *De arcani obligatione.*
  10. *An possit publicare delictum ob defensionem*
  11. *An propter consilium, et solamen; et an viro probo.*
  12. *Si delictum est publicum in uno loco etc.*
  13. *Si fuerit publicum aliquo tempore etc.*
  14. *Si delictum est conexum.*
  15. *Si referat ut ab aliis auditum.*
  16. *Qui nominat aliquem ordinem, aut monasterium.*
  17. *Qui inducit, aut audit detractio-nem.*
  18. *De famæ restitutione.*
  19. *Causæ excusantes a restitutione.*
  20. *An adsit obligatio compensandi infamationem cum pecunia.*
  21. *An infamatus possit sibi compensare.*
  22. *Qui sint libelli famosi, et quæ*
- (5) I 5. n. 70 et 1. 3. n. 969 ad 3 circa fin. — (6) I. 5. cit. n. 70. v. 6. si litteras.

*pœnæ adsint contra eos conscientiss.*

7. Detractio alterius famæ tunc est mortale, cum aut publicatur delictum falsum proximi, aut delictum verum, sed occultum, et quod brevi non est publicandum; et item cum publicatur, ut infametur; nam si manifestetur ob alium justum finem (loquendo de delicto vero) v. g. ut proximus corrigatur, aut ut evitetur damnum grave aliorum, et nullum extaret medium quo evitetur illud, tunc illud patefacere non est illicitum (nisi in casu quo damnum infamiae notati esset notabiliter excedens proprium damnum); quia, ut dicit s. Thomas (1), illa dicitur vera detractio, quæ fit ut denigretur alterius fama, non autem illa, quæ fit ob aliud bonum necessarium: *Si verba* (sic ait s. d.), *per quæ fama alterius diminuitur, proferat quis ob aliquod bonum necessarium, non est peccatum, nec potest dici detractio* (2).

8. Hic locum habet magna quæstio: An quis ad evitandum grave suum damnum, possit patefacere delictum occultum alterius, sed injuste cognitum aut vi, aut fraude, v. g. reserando litteras etc.? Variæ sunt sententiæ, inter quas nobis arridet illa Lugo Laym. Tourn. La-Croix et Sporer, qui negant posse hoc fieri, quia illa actio injusta obligat patratem eam ad restituendum proximo omnia damna, quæ inde illi proventura erunt. Eo solo casu posset revelare alterius delictum, quando ei liceret illud investigare etiam per vim, aut reserando alterius litteras, ut esset si revelatio conferret bono communi, aut si ille proximus sub gravi teneretur aperire arcanum, ut repararetur damnum, aut si ille injustam vexationem exhiberet, et alius qui litteras resignat, probabiliter putaret in illis aliquid contineri, quod directe esset causa injusta damni proprii, aut alterius innocentis; nam

(1) 2. 2. qu. 73. art. 2. — Lib. 3. n. 969.

secus, si directe non contineretur in litteris vexatio, sed ab illis posset deduci indirecte aliqua notitia, qua sua utilitas promoveri posset, aut vitari damnum, non liceret tunc aperire litteras: cum hoc sit contra bonum commune societatis humanæ, quod præferendum utique est bono privato; ita Less. Laym. et Salmant., cum aliis communiter (3).

9. Hic quoque opportune cadit, ut sciatur quandonam teneamur servare arcanum? In hoc oportet distinguere arcanum naturale a promisso et a commisso: *naturale* est, quando quis casu scit aliquid factum occultum; *promissum* est, cum se aliquis obligat non manifestare aliquid: *commissum* denique dicitur, cum aliquis confidit alteri arcanum cum prohibitione non revelandi. Veniamus ad obligationem arcani. *Promissum* obligat juxta intentionem committentis, sed non habet ille obligationem gravem observandi, nisi cum certum est ita se obligasse. *Commissum* (dictum etiam *rigorosum*) obligat strictius quam naturale, et potest tantum in sequentibus casibus aperiri 1. Si præsumitur consensus principalis; 2. si factum jam sit publicatum. Imo Azor. Lugo Ronc. Salm. et alii dicunt non esse mortale, uni vel alteri illud communicare commissum, licet sit de re gravi; modo persona non sit talis, ut præcipue illi judicetur committens voluisse celari; 3. si occultatio arcani vergeret in damnum commune, vel alicujus innocentis, ac ipsius committentis: quia tunc tu bene potes detegere illud. Huc adde juxta communioem et probabilioem sententiam cum Soto Navar. Laym. Less. De Lugo Bonac. Ronc., quod potes detegere secretum etiam ad reparandum tuum proprium grave damnum, cum deterioris conditionis non sis, quam cæteri innocentes; dummodo (limitatur) detectio non vergeret in grave damnum commune; et modo non te obligasses illud ce-

(3) Lib. 3. n. 969. circa fin.

lare etiam cum anquo tuo **damno**. An autem illud possis **prodere** in periculo vitæ, cum etiam in tali periculo te obligasses celare, **utraque** sententia affirmativa et **negativa** est probabilis (1).

10. Notandum 1. licere (ut dicunt Lugo Carden. Tournely et Busemb.) revelare aliquod verum delictum proximi, in quantum juvat, et etiam est necessarium ad se defendendum ab aliqua insidia ab illo parata. Dictum est verum, quia imponere delictum falsum semper est grave, uti habetur ex prop. 44. ex damnatis ab Innocent. XI. quæ dicebat: **Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat, etc.** (2). Multi dd. tamen excusant a mortali, cum quis, ut aufugiat acriores cruciatus, confitetur commississe delictum cujus immunis est; sed hoc non admittimus cum aliis (3), observa id quod dicitur in *Tract.* 13. n. 84.

11. Notandum 2. licere patefacere alterius peccatum in quantum conducit proprio consilio, aut levamini in aliqua injuria gravi, qua quis affectus est, ut communissime Navar. Bon. Sairo. Ledes. Mazzotta Busemb. Salm. et alii. Et multi graves dd. ut Less. Cajet. p. Nav. Bonac. Covar. Nav. Trullench. etc. excusant (saltem a gravi) qui revelaret aliquod delictum secretum uni vel alteri viro prudenti, dum fama consistit in æstimatione hominum, ideoque non judicatur infamatio significare illud peccatum uni vel alteri qui illud celatum tenerent. Et hoc idem aperte sentit s. Thomas (4) dicens: Si ex incautela alicui dixerit hoc (nimirum alterius peccatum), ita tamen quod non proveniat inde infamia delinquenti, tunc non peccat mortaliter, licet incaute agat (5).

12. Notandum 3. quod cum delictum est publicum alicubi, dubitatur

(1) N. 970. et 971. — (2) N. 972. — (3) I. 4. n. 275. — (4) Quotlib. 11. a. 13. ad 3. — (5) I. 3. n. 973. in fine et 974.

an sit gravis culpa illud manifestare alicubi, etsi eo non adhuc pervenerit notitia, nec brevi perventura erit? Adsunt tres sententiæ. Prima cum Dicast. Villalob. Antoine Tournely Cuniliati etc. tenet esse mortale contra justitiam, quia delinquens adhuc ibi suam famam possidet. Secunda cum Lessio Sylvio et Bonac. tenet esse mortale contra charitatem, quia licet reus amiserit jus ad famam, valide tamen mœreret, sciendo palam fieri suum crimen eo loco ubi ignoratur. Tertia sententia communior, quam mordicus tuetur Lugo (et vocat communem ac veram) cum Cajet. Anton. Ledesma, et Major, eamque tenent Salm. cum Navar. Bannez Serra Fill. Fagund. Macado et aliis (6), dicit non esse gravem culpam neque contra justitiam neque contra charitatem. Plures afferunt rationes præfati auctores; sed potior ratio est, quia ad bonum commune expedit agnosci malefactores, ut ab eis alii cavere se possint; hocque commune bonum damno præponderat delinquentis. Hæc ratio utique valde probabilis mihi videtur, semper ac crimen est tale, quod reddat reum perniciosum et vilandum, prout esset crimen latrocinii, impudicitia, homicidii, proditiõnis, et similia. Nec obstat dicere quod reus, possidendo eo loco famam suam, nequit illa exspoliari per solam opinionem probabilem; nam responderetur quod eodem tempore quo ipsius peccatum publicum evadit, ex una parte jam probabiliter amittit ipse jus ad famam, et ex alia omnes acquirunt jus ad ipsum agnoscendum, ut evitent; et cum jus rei evadit incertum, incerta quoque evadit possessio illius. Invenio autem quod p. Concina (7) in hac quæstione distinguit et ait, quod cum delictum est notorium *notorietate facti*, scilicet publice patratum, tunc patefieri potest ubicum-

(6) Lugo d. 15. n. 59. Salm. tr. 13. de rest. c. 4. n. 61. cum aliis. — (7) Comp. theol. tom. 1. p. 239. n. 10.

que; cum veronotorium est tantum *notorietate facti*, sic inquit: *Cauti omnes sint oportet, quia facile fingitur hæc publica fama*. Adverte autem quod delictum publicatum in una tantum familia aut monasterio, non potest dici absolute publicum; unde non potest alibi manifestari, et ne in alio quidem monasterio ipsius ordinis, quod eum illo haberet frequentem communicationem (1).

13. Delictum vero alicujus publicum uno tempore, non potest in alio in quo factum est occultum publicari sine gravi culpa, saltem contra charitatem: excipe tunc si delictum esset publicum, non solum *notorietate facti*, sed etiam *notorietate juris*, nempe per sententiam judicis, aut rei confessionem in judicio, ut docent Lessius, Lugo La-Croix etc. (2). Ceterum hoc non obstante, non prohibetur quin historici delicta publica describant, etiam ex solo facto; Sotus Molina Vasq. (3).

14. Notandum 4. quod si quis infamia notatus est ob unum delictum, non est grave illum infamare de alio illi connexo, aut affine, ut si dicatur de milite fornicasse, et hujusmodi. Secus vero si publicaretur aliud peccatum diversum; aut si de eo qui dicitur esse adulteratus semel, patefieret bis eum lapsus esse (4).

15. Notandum 5. peccare tantum venialiter eum qui refert peccatum proximi, sed uti narratum ab inimicis, aut aliis modicæ fidei, aut si verisimiliter creduntur auditores non præstare fidem dictis. Sed peccabit mortaliter, si dicet a fide dignis audivisse, aut si refert delictum gravissimum; quia in hoc erit peccatum grave etiam solum suspectum fundatum præbere (5).

16. Notandum 6. peccare eum qui detrahit famam alicujus ordinis religiosi, aut monasterii alicujus religionis, et etiam qui publicat delictum

alicujus religionis, nominando monasterium aut ordinem. Nihilominus si ordo esset amplus, recte ait p. Concina, non æstimandum grave peccatum, nec frangi sigillum, nominare ordinem qui non est strictæ observantiæ (6).

17. Notandum 7. peccare graviter qui inducit alterum ad detrahendum. Qui etiam non inducit, sed oblectatur de detractione ab aliis facta, peccat etiam graviter sed tantum contra charitatem. Sed qui oblectatur non de damno, quod proximus patitur in illa detractione, sed tantum de novitate, aut curiositate, quam continet detractio illa, multi dd. excusant a gravi; modo ille non esset Superior; quia graviter interest subditum detrahentem corripere. Superiores igitur peccant graviter contra charitatem (sed non contra justitiam), ut recte tenent Lugo Sotus Reb. Dicast. etc. si omitunt corripere subditos detrahentes proximo de re gravi (7). Sed qui non est Superior a multis gravibus dd. excusatur a peccato mortali, si ob verecundiam, aut timorem, non nititur impedire detractionem, dummodo proximo (ultra infamiam) non imminet aliud damnum ex detractione causandum, et modo ait s. Thomas (8), certe non sciat quod si corripere detractionem impediret; sed hanc certitudinem habere est moraliter impossibile ei qui non est Superior, aut saltem si non multo præstat dignitate, aut nobilitate (9). Advertunt Lugo, Busemb. etc. errare eos qui statim ac audiunt loqui contra proximum, putant illico teneri ad correctionem; quia sæpe plus prodest proximo, ut detractio incepta terminetur, dum aliquando, expleto discursu, cognoscatur quod res aliter sese habeat, quam in principio apprehensa fuit. Ceterum ut ab omni scrupulo se eximat; ubi audit aliquem detrahentem, et quidem

(1) I. 3. n. 974. — (2) N. 974. v. Similiter. — (3) Vide Salm. de rest. c. 4. n. 37. — (4) I. 3. n. 976. — (5) Lib. 3. n. 977.

(6) N. 979. ad 16. v. Similiter, et 1. 6. n. 634 in fine. — (7) I. 2. n. 980. — (8) 2. 2. q. 73. a. 4. — (9) L. 3. n. 934.

de re gravi, et occulta, satis erit si a circulo discedat; aut si nitatur sermonem alio traducere, aut si ostendat sibi illud displicere, vultum alio convertendo, aut oculos demittendo vultum valde serium ostendendo (1).

18. Notandum 8. injustum detractorem teneri ad famæ restitutionem, et etiam ad damnum illi causatum (dummodo sit saltem in confuso præcognitum); et non solum cum delictum impositum est falsum, palinodiam canendo apud auditores, tam mediatos, quam immediatos (cum immediati negligenter advertere suos auditores); sed etiam quando est verum, prospiciendo modo quo meliori potest, dicendo v. g. : *Erravi, allucinatus sum, me fefellit, mentitus sum;* quia omne peccatum est fallacia, et mendacium, juxta s. Joan. Ego soleo hoc consilium dare, ut dicant: *Ex capite meo hoc erui,* (vulgo *me l'ho cavato dal capo*) æquivocando quia omnia verba e mente (pro qua accipitur caput) procedunt. Quod si unquam famæ restitutio probabiliter majori damno potius, quam utilitati infamia notata futura esse judicaretur, quia præsumeretur ab hominum memoria effluxisse (ut jam præsumitur, cum famæ obrectatio multo abhinc tempore acciderit, et inde hoc omnino in oblivione jacuerit): tunc satius est occasiones captare infamatum laudandi in aliqua ejus virtute; ut eum in bonam aliorum opinionem ponat, quam res præteritas hac famæ restitutione in memoriam revocare. Confessarius tamen curet ut hujusmodi famæ compensationes, cum commode fieri possunt, ante absolutionem fiant, quia postea difficulter adimplebuntur; licet ceteroquin hæminus difficultatis habeant, quam pecuniæ restitutio (2).

19. Denique notandum detractorem plurimis ex causis posse excusari a famæ restitutione: 1. Si delictum jam ex alia via fuerit factum publicum, aut si infamatus aliis mo-

(1) N. 930. — (2) Lib. 3. n. 992.

dis suæ famæ consuluerit; 2. si prudenter præsumitur diffamatus remisisse, dum quilibet est suæ famæ dominus, ut dicunt Laym. Nav. Trulench. Busemb. Holzmam etc. cum communi (3); modo, intelligitur, possit remitti, dum remittere non potest quando ejus infamia cederet in scandalum, aut in damnum commune, aut suorum; 3. si ob famæ restitutionem subeundum esset periculum vitæ, aut damnum multo gravius, quam est illud infamati; 4. si judicatur quod detractio præstata non sit fides, ut quando fit in iracundiæ calore; 5. si prudenter judicatur quod factum oblivione sit deletum, ut supra dictum est; 6. si infamatus etiam tibi detraxit, et adhuc non restituit, quia tunc juxta sententiam communiorem et probabiliorum Soti Sylvii Vigandt Tournely Laym. Salmant. etc. tu potes suspendere tuam restitutionem, donec alter adimpleat suam (4).

20. Dubitatur 1. an cum famæ restitutio non potest fieri, teneatur detractor pecuniis compensare? Alii ut Sylvius Sotus etc. cum s. Thoma (5) probabiliter affirmant, quia fama etiam est pretio æstimabilis. Sed sententia communior, et probabilior cum Lessio Lugo Sanx. Laym. Vasq. Bon. Salm. Croix etc. negat, quia justitia obligat solum ad restituendum ablatum, aut æquivalens; sed fama, cum sit diversæ speciei, quoniam ordine superior est bonis, nunquam quocumque pretio compensari potest. Unde restitutio facta per pecuniam nunquam erit congruens satisfactio, cum infamatus semper eodem modo quam ante pretii solutionem creditor restaret (6). Observetur quod dictum fuit *Tract. 10. n. 83.*

21. Dubitatur 2. an cum detractor non potest, aut non vult famam restituere, possit infamatus pecunia se compensare a detractore? Alii dd. negant, quia nequit fieri compensa-

(3) N. 1003. — (4) 998. et 999. — (5) 2. 2. qu. 62. a 2. ad 2. — (6) I. 3. n. 627. et 4000.

tio cum sola probabili opinione. Alii tamen affirmant, ut Lessius Molina Arag. Ledes. etc. et Salm. admittunt hanc opinionem uti practice probabilem, dicentes regulam, non posse compensari cum probabili, procedere cum debitum est dubium non vero cum est certum, ut certum est creditum quod habet offensus de sua fama, et dubium tantum versatur de modo compensandi, et hunc modum probabiliter admittunt dd. (1). Hoc non obstante ad hæreo primæ sententiæ, dum infamatus est creditor in materia famæ, non autem bonorum; et si probabile est, imo probabilius (ut nuper vidimus) non teneri detractorem pecuniis compensare, cum non potest famam reparare, semper evenit, quod infamatus compensatur ob creditum tantum probabile, non certum (2).

(1) N. 1001. — (2) Vide l. 1. n. 35. v. Hinc. (3) Lib. 3. n. 995.

## TRACTATUS XII.

### DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE

1. Præcepta ecclesiae sunt multa, sed principaliora et communiora populo christiano sunt quinque: 1. Sacro interesse diebus dominicis, et festis de præcepto (sed de hoc jam satis in tertio præcepto decalogi): 2. jejunare in quadragesima, vigiliis, quatuor temporibus; 3. abstinere a carnibus feria sexta, et sabbato; 4. confiteri saltem semel in anno, et communicare in Paschate; 5. non celebrare nuptias temporibus vetitis, et de hoc agetur in *Tract. de matrimonio*. Itaque restat hic agendum de 2. 3. et 4. præceptis. In 1. capite erit sermo de jejunio, et hic etiam agetur de abstinentia a carnibus; in 2. capite de confessione et communionem annuali.

#### CAPUT I.

##### De jejunio ecclesiastico,

##### PUNCTUM I.

##### DE JEJUNII OBLIGATIONE,

2. De abstinentia a carnibus.

#### I.

22. Aliquid hic addendum circa libellos famosos. *Libellus famosus*, sive *infamatorius* est, cum publicatur in scriptis aliqua gravis et occulta infamia cujusdam. Vocatur etiam libellus famosus scriptura tradita judici absque nomine accusatoris. Adversus eos qui hos libellos conficiunt, adest excommunicatio ferendæ sententiæ ut habetur ex c. *Qui alterius 5. quest. 11.*; sed late, si libellus sit adversus Papam, aut Cardinales; imo est reservata, si est contra ordines Franciscanum et Dominicanum, aut alium communicantem; non vero si contra aliquem particularem Religiosum. Eandem culpam et pœnam incurrunt qui ad alicujus januam quoddam infamatorium signum appendunt (3).

(3) Lib. 3. n. 995.

3. et 4. *De lacticiis.*

5. *De larido.*

6. *De tribus Bullis Benedicti XIV*

7. *An dispensati ad carnes possint vesci piscibus.*

8. *De carne suina.*

9. *De unica comestione.*

10. *De interruptione prandii.*

11. *De electuariis, etc.*

12. *De potionibus.*

13. *De vino et birra.*

14. *De sorbetto.*

15. *De chocolate.*

16. ad 19. *De collatiuncula serotina.*

20. *Si quis pluries vescitur carnibus, aut alio cibo, etc.*

21. *de hora refectiois.*

2. Tres sunt conditiones quas requirit jejunium ecclesiasticum, abstinentia a carnibus, unica comestio, et hora refectiois. Præcipue jejunium consistit in abstinentia a carnibus eorum animalium, quæ in terra nascuntur, et respirant juxta regulam s. Thomæ (4): aut communiter

(4) 2. 2. q. 447 A. 8.